Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1281
Quelle:
Copyright:

tum (de Melioratis) *Innocentium papam VII. vocant et illi ut Cardinales assistunt.* Dein additur: *Premissorum copiam misit Conradus Vnrowe* (Unruhe) *de Roma domino Johanni* (Nassovio) *Archiepiscopo maguntin. et quam ego Johannes Muntschemer vicarius in ecclesia Maguntin. copiaui manu propria anno domini 1407. die VI. februarij qui fuit dominica appellata quinquagesima in carnis priuio.* Mortuus est *Innocentius Romae* 6. *Nov.* 1406. ideo superius additum: *felicis recordationis.* Initium literarum, quibus bonus Princeps ad res cum *Petro de Luna* s. *Benedicto* XIII. componendas hortatur, est: *Fratres in Domino nostro Ihesu Christo, qui suis fidelibus dixisse legitur, Vos omnes fratres estis* &c. Subscriptio: *Parisius. XIIII augusti anno domini M°. quadringentesimo sexto. Sancte Romane ecclesie fidelis et deuotus Johannes quondam* (Johannis II) *Regis francorum filius. dux Bituricen. et Aluergnie, pictauie Balonie* (Velauniae, Velay?) *Stamparum et Aluergnie Comes &c.* Arverniam bis hic poni, mendum non censeo, cum *Johannes* II. in gratiam *Johannis* filii anno 1360. partem ejus Provinciae unam *Ducatus* titulo insigniverit. Obiit Filius, autor Epistolae nostrae, quam editam nullibi me legere memini, anno 1416.

XXIX. *fol.* 236. *Epistola directa Reuerendo patri domino G.* (Gerhardo C. a Schwarzburg) *Episcopo Herbipolen. statim post debellationem ciuium Herbipolen.* Narrat bellum hoc intestinum et pugnam ad pagum *Berchtheim*, qua 1400. 11. *Jan.* debellatum est, *Laur. Friess* in *Hist.* vernacula *Epp. Würceburg.* editus a *J. Petro Ludewig* in Collect. *Scriptt. Episcopatus Herbip. p.* 676. Victoriam itaque Episcopo gratulatur Epistolographus noster sermone paene toto ex sacris Literis non inepte depromto, pro vivis et superstitibus clementiam deposcit, pro occisis pias exequias, *ut si qui forte ad cor reuersi in hora extremi spiraminis sui gemitum contricionis emiserint, Deus paterno misereatur affectu* &c. *Metrista canit*

Herbipolis sola iudicat ense stola.

Per stolam ipsum spirituale vobis conceditur, per ensem seculare vobis non denegatur. Per stolam misericordia designatur, per ensem uero iudicium figuratur &c. *Vnde Reuerende pater nulli consentiatis, qui suadent vobis vindictam absque misericordia, quia forte et sine forte Dei iudicio permissum fuit, ut clerus vester multipliciter suis demeritis exigentibus castigaretur a subditis, quorum curam negligenter gessimus* &c. Ad calcem: *Scriptum Nurenberge per me vestrum humilem seruulum Conradum Schilber ipsa die sancti pauli Apostoli Anno Domini* M° CCCC°. Sequitur: *Secunda epistola*